

9
ROSÆ NEOBURGICÆ
MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ
SERENISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ LUSITANIÆ
REGINÆ piis manibus parentatur Dusseldorpü

à
SERENISSIMO & POTENTISSIMO
JOANNE GUILIELMO
COMITE PALATINO RHENI,
Sacri Romani Imperii Archithesaurario
& Electore,

Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Duce,
Comite Veldentia, Sponheimii, Marchiæ,
Ravenspergæ, & Moersæ, Domino in
Ravenstein, &c.

Offerebat devotissimus Cliens
JOANNES BUCHELS, Julio-Linnichius.

Dusseldorpü imprimebat Joh. Christianus Schleuter.

[1702]

24 v 345

750



Ad potentissimam & serenissimam Do-
mum Neoburgico-Palatinam.

Salve Progenies Neoburgica, cognita Divis,
Electoratu splendida, nata Thronis,
Quanta micat terris! sceptris es sacra, mitrisque,
Non alia in gente est tam bene notus honor.
Illustres Heroum animas, vestigia magni
Sanguinis, & celebris tot Decora alta Domûs
Quis non miretur! quæ longi stemmatis ortum,
Claraque majorum nomina Musa canat?
Quis decus à Proavis meritum, virtutis avitæ
Lucem, magna togæ lumina, magna fagi,
Spes amplas Generis, celsa de Stirpe Nepotes,
Læta tot à sæclis parta trophæa sonet?
Si modò conspicuam virtus, & gloria sese
Terris sistat, in hac cernerem utranque Domo.
Quà jubar occiduo condit sub marmore Titan,
Quà rubet eoo candida sole dies,
Europæ applausu summo, cælique favore
Fama Palatinæ fertur in astra Domûs.
Ortus splendorem, cunabula sanguinis alti
Sæcula prisca canunt, sæcula nostra stupent.

A ij

Quor

Quot celfos habet ille Duces, quot scepra decorat,
Quot Reges, & quot Stirps genitura Duces!
Et Nati Natorum, & qui nascentur ab illis,
Virtute Europam, mente, manaque regent,
Tot Reges genuisse parum quis credat, & inter
Tot titulos scepris vix tribus esse locum?
Hanc Superi servate Domum, servate Nepotes,
Masculeâ & nostrum prole beate Ducem.
Passibus ambiguis alibi fortuna deerret,
Ast hic instabilem nesciat illa pedem.
Floreat ut Domus hæc, posthæc, Mors improba, pone
Falcem, Mavortis sed Dea, pone facem.
Quod dedit illa aliis, dent illi sidera Stirpi,
Nam dare quod possint, nil puto majus habent.

Ad Potentissimum & Serenissimum

JOANNEM GUILIELMUM

Comitem Palatinum Rheni, Sacri Romani Imperii Archithesaurarium, & Electorem &c.

MAxime Dux salve, Neoburgæ gloria gentis,
Atque Palatinæ lumen, honorque Domûs.
Non ea vis animo, dignè ut decora alta perennem,
In Te quæ laudat Rhenus, & Ister amat.

Inde-

Indefessa tuas posthac tamen ora resolvam
In laudes, Musis omnia solus eris.
Mecœnas valeat, valeat quoque Cæsar, amicus
Pindi, Patronus Vatis, utrumque refers.
Cur quæram plures? Princeps mihi sufficis unus,
Tu mihi Mecœnas, Tu mihi Cæsar eris,
Dum Musæ vivent, Princeps, tua gloria vivet,
Nam genium Musis, ingeniumque facis.
Te Stirps celsa Ducem, Te felix fama celebrem,
Te virtus magnum, mens facit alta gravem,
Digna coronari virtus, dum penè coronas
Europæ cunctas occupat una Domus.
O nimium dilecta Deo, tot splendida sceptris
Progenies, Reges tot paritura solo!
Quàm bene, Dux, tantæ caput, atque es gloria Stirpis?
Te columen noscit quàm bene tanta Domus!
In Te magnanimi vivunt decora ampla Parentis,
Hæredem pietas gaudet habere suum.
Gaudemus, magno Te successisse Parenti,
Cum virtute, animo, sitis uterque pares.
Frater es Augustæ, Reginarumque duarum,
Addemus titulis quid, GJILIELME, tuis?
Da Patriæ hæredes, titulis titulum adde paternum,
Addere dum decori nil potes ipse tuo.

Invitatur Apollo, ut potentiſſima & ſereniſſima
MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ

Lufitania Regina ſunus immaturum deploret.

Programma.

MARIA SOPHIA ELISABETHA NEOBJRGICA

Anagramma.

Mica Rheni, Tagi, Phœbi, Roſa, abes Aulâ!

DEſere pierias, Proles Latonia, Divas,
Affer ab Aonio triſtia plectra jugo.
Huc ades, & mæſto præbe ſolatia Rheno,
Huc ades & lapſam carmine plange ROSAM.
Fletur ab Europa mors immatura MARIÆ,
Illa Palatinæ ſtella coruſca Domûs,
Illa Braganciæ columen memorabile Stirpis,
Illa decus Rheni, lumen, amorque Tagi,
Illa thori benefida comes, laus illa Minervæ,
Et ſæcli, & ſexûs gloria rara ſui,
Illa omnis virtutis honos, regnique corona,
Et Reginarum gemma, MARIA jacet.
Hinc illæ lachrymæ, factus dolor omnibus unus,
Incendit luctus nuncius ille graves.
Non tanto careat Tibi nomine verſus, Apollo,
Nomine pro tanto quid mea plectra canant!

Jam

Jam factis est, mutas tenuisse silentia Musas,
Sufficiet justus verba diserta dolor.
Cinnama mæsta Charis, Nabathææ messis odores
Tristis Amor leget, & gemmea dona Tagus.
Ver affer violas, immortalesque amarantos,
Albaque narcissi, flavaque ferta croci,
Liliaque & nardos, hyacinthum & suave rubentem,
Et quidquid florum candida Chloris habes.
Toto constitui majore decorare sepulchrum,
Sub quo Reginæ clauditur umbra Rosæ.
Vestras sUMit opes, Vestros VULT DUSseLa fletUs,
Ferte rosas Isti, quæ fUIt antè ROSA.

Ad potentissimum & serenissimum
JOANNEM GUILIELMUM
Potentissima & serenissima
MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ
Lusitaniæ Reginæ piis manibus Dusseldor-
piti parentantem.

TRiste ministerium præbes, Dux magne, Sorori,
Cujus supremo funus honore colis.
Ante tuas sedes illustri mole superbas
Ut lentis Rhenus currit in æquor aquis?
Mæsta Palatinus Leo dat suspiria, squallet
Tristis, & in luctus mergitur Aula graves.
Fulgida lugubri mutatur purpura veste,

Duf-

Duffela funereas volvit ad astra faces,
Pullati pompam lessi, nigrasque cupressos,
Exstructamque pyram quæ fatis ora canent?
Sacra facit Loë, mitrâque, pedoque decorus,
In Veteri virtus quem bene Monte colit,
Quatuor assistunt Mystæ, pius immolat agnum
Cæli Rectori, sed sine cæde, Leo.
Dumq; preces fundit, ROSA nostra, ait, ornet olympum,
Pené vetat mutus dicere plura dolor.
Plangit Erithræis Ulyssipo dives arenis,
Auget & auriferum lachryma fusa Tagum.
Cernimus Augustas hæc funera flere Sorores,
Eleonora dolet, dum Maria Anna gemit.
Parma ubi lambit aquis Farnesia mœnia, mœstis
Irrorat guttis ut Dorothea thorum!
Non filet Hedvvigis, semota Silesia quamvis,
Aggemat ut letho huic, omnia læta fugit.
Tu quoque Tu desles, Dux Carole, fata Sororis,
Quàm procul á patria est rapta, proculque Tuis!
Præful Alexander cineri bona verba precatur,
Vindelicis Bavarus quâ Lycus errat agris.
Stirpis ubi ROSA? tristis ait Franciscus, at Echo
Ingeminat querulo murmure: rosa ROSA est.
Quàm fuit hæc ævi brevis! inquis, vita bonorum
Ut brevis esse solet, sic solet esse ROSA

Inter

Inter laudes mille, Rosæ non ultima laus est,
Tam citò rapta solo quod placet illa polo.

*Serenissima Regina in Arce Benradensi
nata, Ulyssipone denata.*

RhenUs RegInæ CIJnas, TagUs eLeVat URnaM,
HesperUs Is Vitæ, phosphorUs Iste DatUr.
Musarum Chorus lessum canit.

O Quoties olim cecini: da numen ituræ
Magne Deus! dat se pulchra MARIA mari.
Illa solo vitam, ventis & credere vota
Ausâ, lubens ivit, quò rapiebat amor.
Ivit in ignotos fluctus, ipfisque procellis
Insultans Thetidem vincere visa fuit.
Circùm Nereides, chorus & salit omnis Amorum,
Forma Rosæ rapit hos, dum rapit aura ratem.
Neptunum sensisse putes tam nobile pondus,
Adnatat, & Zephyros in nova vela vocat.
I dicit, Te ducit Amor favet axis eunti,
Et faciunt celeres ventus, & unda vias,
Frontis majestas generis cunabula pandit,
Tergeminas posses vincere quarta Deas.
Quis membris inscriptus honos, ut colla ligustrum,
Ut dentes æquant lilia, dextra nivem!

B

Et

Et genus, & formam Reginæ sidera donant,
Et genus, & formam regius ambit amor.
Et pudor, & pietas, castique modestia vultus
Lusitana rapit corda, Tagumque movet.
Purpura pura rosæ, decus auro gemma, poloque
Stella, dabis celfo Tu decus omne throno,
Ne dubites, in Te Domus inclinata recumbit
Regia, quot Reges es genitura Tago!
Quot paries Patri dulces, nova gaudia, natos,
Vives in vultu prolis honora Parens.
Felix o nimium felix hac conjuge Petrus!
O felix, quod fert huic sua sceptrata Tagus!
Quæ placuit, Rex Petre, Tibi, placet omnibus illa,
Virtute, ingenio, stirpe, decore, manu.
Quid nunc, Phœbe, canam? quondam illa fuere, fuerunt
Vultus ebur, soles lumina, labra rosæ.
Vultus ebur, duo labra rosæ, duo lumina soles,
Lapsa ROSA est, marcent lumina, livet ebur.
Regia lapsa ROSA est, fle Lusitane, reliquit
Lux oculos, frontem gratia, labra rubor.
Quis non condoleat? Reginæ in mœnibus altis
Dum paro pyramidem, mors struit atra pyram,

*Serenissima Regina in mense Augusto nata
& mortua.*

AUGUSTÆ AUGUSTUS TULLIUS HINC EX ORBE SOROREM,
Denata est, IN QUO REGINA NATA ROSA EST.

*Serenissimus & potentissimus PETRUS
Rex Portugallia de Regina
morte conqueritur.*

PRæteritum tristi recolo dum pectore tempus,
Flebilis ima dolor lapsus ad ossa furit.
Non oculos nocti, non do mea membra quieti,
Tristi turbatus vulnere fata fleo.
Quæ fuit illa dies, Superi, quâ ponere primùm
Visa Maria suos in mea regna pedes!
Ut vidi, ut volui, visæque cupidine formæ
Arsi, divinæ Palladis instar erat.
Majestas, & Amor formosa in fronte sedebant,
Pierides docto in pectore, in ore Charis.
Tota erat in vultu tenerorum Mater Amorum,
Totus & errabat per labra pulchra pudor,
Lactea membrorum series, ridentis ocelli
Blandities, primæ Nobilitatis honos,
Dum mihi me rapiunt, non fallor, sidera, dixi,
Hæc aliquid pulchro corpore majus habet.
Pulchrior in pulchro radiat mens corpore, sceptro
Aut hæc, aut nulla est, o Tage! digna tuo.
Divitiis formæ certant insignia morum,

B ij

Quot

Quot bona tam parvū clausit in orbe Deus!
 Formosam mihi, Rhene, ROSAM, mihi, Dussela, mittis,
 Ore decus, totis gratia fusa genis,
 Florum Reginam si Florâ judice tellus
 Eligat, hæc Florâ judice sola rosa est.
 Est rosa flos florum, flos sexûs una Maria est,
 Hæc solii lux est, ut rosa gemma foli.
 Hanc mihi consortem sceptri, fociamque cubilis
 Legitimo lætus fœdere junget Hymen.
 Jam pia Myrta senex, tædasque juvantia verba
 Legerat, & dederat prospera signa polus:
 Digna venis folio, dixi, ROSA, gloria Regni,
 Illa manus sceptrum, frons diadema geret,
 Tu ROSA suave rubes, vultu præcone potestas
 Enitet, Hybleas, O ROSA! vincis opes.
 Ut Te semper amem, tuaque ut decora alta celebrem,
 Quot posthæc causas Argus habebit Amor!
 Utere vere tuo, læto dum flore juventus
 Ridet, & aspirant sidera, vive ROSA,
 Nativum frons fundit ebur, non forma decorem
 Emit, quo placeas, sufficit ipsa Tibi.
 Dixit nuper Amor, mea cum Tibi vota sacrarem,
 Sponsa aliquid sexu, & nomine majus habet.
 Dixit Amor verum, ne nos obstemus Amori,
 Me dignare thoro, Te sociabo throno.

Es

ES ROSA, majorem Tibi purpura regia lucem
 Addet, virtuti concolor illa tuæ est.
 O quis delicias, bona quis nunc scribere possit,
 Quas dedit illa mihi, quæ tulit illa meis?
 Hæc bis ter pulchrâ fecit me prole parentem,
 Dans Lusitano regia fulcra throno.
 Reginas peperit, Reginarumque Maritos,
 Pingitur in vultu prolis amanda parens.
 Aspera me quoties docuit fortuna dolere,
 Hæc doluit toties, mœsta dolore meo.
 Post Zephyros plus lædit hyems, post gaudia luctus,
 Ante diem bona tot sustulit atra dies.
 O quoties dixi, me conjuge gaudeat illa,
 Atque diu natis gaudeat illa suis!
 I ROSA, fidus humi, longum duc fideris ævum,
 Terra favet votis, & favet æthra meis.
 Cæcus ego feros quid flori huic apprecor annos!
 Opto dum sæclum, dat duo lustra polus.
 O Cælum, quònam nostri Tibi cura recessit,
 Siccine decretum est, ut ROSA nostra ruat!
 Si non unius, saltem miserere duorum,
 Vivam, si vivet, si cadet illa, cadam.
 Pone tuam pharetram, Mors, falcem pone, facemque
 Febris: sed furdis auribus ista cano.

Mors nigris roseum florem circumvolat alis,
Intentatque minas, vulneraque alta parat.
Quos Superos in vota vocem? properate Galeni,
Parcarumque dies, visque inimica furit.
Admouet heu frustra medicas Epidaurius herbas,
Nil medicina iuvat, dum Libitina furit.
Dum loquor, en roseis inserpit frigida labris
Atropos, atque oculos nox properata premit.
Fracta labat cervix, humerique & brachia languent,
Nec calor in membris est, nec in ore color.
Quæ metamorphosis? Flos regni ætatis in ipso
Flore cadit, patriæ, & lux mea luce caret.
Hei mihi, quid rerum video! Flos primus Amorum,
Flos Charitum, rosa est mortis ab ungue ROSA.
Ite oculi in lachrymas, vox in suspiria, mutæ
Ne sitis Musæ, nænia mœsta sonet.
Eheu quale decus mors abstulit invida terris!
Nobilior cordis pars jacet illa mei;
Heu cecidit ROSA, spina manet, sed spina doloris,
Cur ea, quæ bona sunt, tam citò iussa mori!
Vita meæ vitæ fuerat, dum vita manebat,
Mortua nunc vitæ mors erit illa meæ.
O mortis malesana manus, sic Regis amorem,
Sicque metis regni, ferrea, falce ROSAM?

Quis

Quis rumpi tantos à morte putasset amores?
Non tumulo, thalamo dignior illa fuit.

*Ad serenissimum & potentissimum
Lusitania Regem.*

Regis LIQUIT agros, heUREX! & abIVIt In astra,
(QUIs DoLor,ægra neqUIt proMere LIngUa)ROSA!

Inveſtiva in Mortem & Parcas.

CUR toties pullis regnas, Libitina, feretris,
Et toties frontem nigra cupressus obit!
Parca, Palatino nunc parcere disce Leoni,

Si vis, ut parcat nostra Camœna tibi.

Non fat erat, tenero rigidas tinxisse sagittas
Sanguine Wolffgangi! quò rapit ira truces?

Non fatis, ignitâ Fridericum bella cientem
Glande Moguntiacò quod lacerâstis agro?

Non fat erat, vitâ Lodoicum orbâsse, sacrabat
Illi dum mitram Legia magna suam?

Non fat erat, dirâ febri stravisse Philippum,
Ætatis florem dum tibi tradit Hymen?

Non fat erat vobis, primâ florente juventâ
Vi Leopoldinam furrivuisse solo?

Cur in reginam, crudeles, tenditis arcum,
Tâm citò pulchra ROSÆ rumpere fila placet?

Siccine in æternam claudantur lumina noctem,

Lumina

Lumina perpetuos digna videre dies!
 Nil vos forma movet, nil vos fortuna moratur,
 Nec celsæ flectit Stirpis avitus honor.
 Nil hanc virtutum splendor, nil gloria sceptri,
 Et nil hanc animi tot bona rara juvant!
 Lethiferas cohibete manus, fors ista senectæ
 Debita, parcite, dum tempora veris eunt.
 Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis,
 Cur rabie vestrâ flos cadat ante diem?
 In senium, serosque dies, & summa reservent
 Tempora cum cæli, vota fuere mea.
 Fata vetant, animamque jubent decedere magnam,
 Nec patet ad nostras janua surda preces.
 Formoso rosei color oris ab ore recedit,
 Inficit & pallor labra, calorque fugit.
 Illustris medios Floris secat Atropos annos,
 Ille cadit, spes cum flore cadente cadit.
 Heu dum sic operit morientia lumina floris,
 Illa aperit lachrymis flumina bina meis.

In Parcas inexorabiles.

CeLsæ non poterant RegInæ parCere parCæ!
 HeU qUæ LUX fUerat, nUnC MhI LUctUs erIt.

VIvat veris honos, & nostri ruris ocellus,
 O nimium felix, quæ videt ora ROSAM!

Quis

Quis decor, illustris quæ lucet gratia formæ,
Sidera quæ frontis, quantus & oris amor!
Nativas ostentat opes, viridique juventâ,
Et specie vincit, quidquid Hymettus alit.
Atque huic Persephone nigram denuntiat horam,
Supponis falcem, Mors furibunda, tuam?
An nescis sanctos, & dignos Pallade mores,
Antiquæ & nescis nomina clara Domûs?
An non formosam formoso in corpore mentem
Cernis? tu talem falce, cruenta, metes!
Dum solii decus est, & vivo purpurat ostro,
Immerito flori parce nocere Dea.
Parce ROSÆ, verno nusquam flos pulchrior anno,
Pace, Hyacinthe, tuâ, pace, Amaranthe, tuâ
Parce ROSÆ violare decus, dum læta Juventus
Ridet, dum veniet curva senecta, veni.
Fata negant, inquis, tua sit ROSA regia, si qua
In terris promet, nox premet atra caput.
Et tantæ tu sæva ROSÆ? Mors falleris, alium
Cælo it fidus, humi fideris umbra jacet.

Dies, mensis, & annus, potentissima & serenissima Regina mortem denotans.

QUarta Dies, AUGUSTE, tUA est, NOX ILLa LegatUr,
QUA reglNa ragl fUnere Merfa fero est.

C

De

De effigie potentissima Regina.

HÆrent infixi tam pulchri pectore vultus,
Pulchra erat ore, genis, lumine, fronte, manu.
Sic oculos, sic illa manus, sic ora ferebat,
Hæc poterat ternas vincere quarta Deas.
Hæc poterat Juno, Pallasque, Venusque videri,
Juno throno, Pallas moribus, ore Venus.
Formosam faciem Reginae pinxit Apelles,
Vix celsæ dotes mentis Apollo canat.

Epitaphium

Serenissima & potentissima Regina.

HIC REGINA SITA EST, ROSA QUAE FUIT ARDUUA, SISTE
QUI SQUIS ES, ATQUE TAGI FLETIBUS ADDE TUOS.

Potentissima & serenissima Regina Posteritati.

LIqui regna soli, Superi meliora dederunt,
Virtuti semper sidera celsa patent.
Viventes morimur, morientes vivimus, ut mors
Vitam, sic mortem vita secuta nova est,
Tres & ter denos Lachesis mihi neverat annos,
Cum rupit favâ stamina vulsa manu.
Me multum vixisse negat, qui computat annos,
Ast benè quæ vixit, vixit & illa diu.
Qui mihi natalis, mensis fatalis & idem est,

Quis

Quis dubitet? flori stat sua cuique dies.
Florebam, viridem mors carpsit acerba iuventam,
Vita rosæ brevis est, est mea vita brevis.
Dum nimis ætati, nimium dum credo colori,
Et nimium veri, ver ea falce metit.
Quid ferat hora sequens, quis possit dicere, flori
Fidere quid possis, ipsa videre potes.
Vidi ego mane rosam folis cum lumine nasci,
Hanc vidi rursum sole cadente mori.
Sæpè ego Lucinæ faustos experta labores,
Aula videt sobolis pignora pulchra meæ.
Hæc risu poterat, cognoscere nomine matrem
Illa, in re cara cura salutis erat.
Crescite, dicebam, fœcundæ gloria matris,
Seriùs ut possim hoc dicere, vota dabo.
Eheu nec prece, nec pretio mors dira movetur,
Vota dedi, surdis auribus ista dedi.
Regalis crescit soboles, ea sola voluptas,
Solamenque mali me moriente manet.
Mors Regum, & Reginarum Regina triumphat,
Hæc lege immotâ regia sceptrâ regit.
Regibus esse manus longas quis nescit? at ecce
In me quàm longas mors habet atra manus!

Potentissimæ Reginae dies natalis Augusti sexta.

NUNCLUX ILLa VenIt, qUæ faUIt ConsCIA par-
tUs,

GaUDEbat terras haC DeCorare ROSA.

Dies fatalis Augusti quarta.

NUNCLUX atra VenIt, qUæ tantI ConsCIA LUC-
tUs,

Lætata est sUperIs hanC properare rosaM.

Serenissimus & potentissimus

JOANNES GUILIELMUS

MARIÆ SOPHIÆ ELISABETHÆ

*Sororis amantissimæ mortem imma-
turam deplorat.*

O S illud, fedes Charitum, filet, abditur urnâ
Exiguâ virtus, forma, iuventa, genus!

Regia res virtus, visa est hac vincere sexum,

Et nuper visa est hac referare polum.

Forma rosis litem faciens, Hebique iuventa,

Et Proavorum alta à Stirpe celebre genus.

Siccine florenti ver Atropos abscidit ævo,

Delitiâs ævi tam brevis hora tulit!

Redde meam mihi, redde meam, Mors dura, Sororem,

Quid queror, æthereas dum legit illa rosas?

Liquet

Liquit humum, celfo rofeum caput inferit axi,
Non hac orbis erat dignus, ad aftra volat.
Non hac dignus erat Tagus, ut fit fplendor olympi,
Ivit ad elyftias Elifabetha plagas.
Gratuler, an doleam? Tibi gratulor, in clyta quod nunc
In fuperis hortis fis ROSA, chara Soror.
Ah doleo, mecumque dolent Fratrefque, Sororefque,
In tota refonat nœnia mœfta Domo,
Quod Tibi triftite damus munus, dum flebile funus
Lugubri pompâ contumulamus humo.
Mœrorem noftrum lachrymæ fine voce loquuntur,
Et loquitur tacito gutture cordis amor.
Has lachrymas, Regina, damus, triftiffima dona,
Funeribus tamen hæc debita dona tuis.
Funeribusque tuis, noftro &, Regina, dolori
Nullæ fufficiunt, queis minu antur, aquæ.
Heu ubi flos ille oris? ubi decor? abftulit, cheu!
Abftulit, in cineres & dedit hora nocens.
At non & lachrymas noftras dedit, accipe Fratrum
Quod fupereft, lachrymas accipe, chara Soror.
Has lachrymas Tibi, chara Soror, folatia luctûs
Exigua offerimus, lumina flumina erunt
Heu plures pro te lachrymas, quàm carmina mens eft
Fundere, dum querimur: quot tulit una dies!

Optima si nimii dolor est medicina doloris,
 Quamvis non lenis, ille Galenus erit.
 Ipse suos nostris questus sociabit Iberus,
 Plangentum lachrymis Cingaue major erit.
 Testantur nostros Rhenusque, Nicerque dolores,
 Cumque Pado Durius, Danubiusque gemunt.
 Non crispas fluctus, nec fulvis lucet arenis,
 Lentior it queruli turbida Lympha Tagi.
 Concordi luctu fluvii, Charitesque queruntur:
 Terræ delicias hæc tegit urna ROSAM.
 Et quia tanta fuit, fuit & quia talis, amatur,
 Solus de tanto funere restat amor.
 Illa fuit folii decus, & spes altera Regni,
 Totius orbis honor, dum fuit, illa fuit.
 Illa oritur, moriturque Augusto mense, nec ipsa
 Flora alio nasci mense, velitque mori.
 Mors hanc ut sternat, non utitur ense, nec igne,
 Cum formosa throni sit ROSA, falce furit.
 Flere quidem, revocare ROSAM non possumus, hæc nunc
 Materia est throni, lux fuit ante throni.

Ad Lusitaniam,

spes fera parca ROSÆ Malè, Lusitania, Lusit,
 HIC QUI LUSUS erat, hic tibi LUCTUS erit.

Pul-

PVLCHRA ROSA in florem vultu crescente pudicum
Stabat, gemma foli, gratia veris erat.
Inclyta Reginam species dicebat, Amorque
Ornabat digitos regius, ora, comas.
Majestatis honos in fronte, Charisque sedebat,
Immortale decus magna propago dabat.
Sidera erant oculi, nix cervix, purpura malæ,
Hac formâ Floræ filia visa fuit.
Cumque ROSAS pareret, sceptri decora alta futuras,
Ditaretque novo germine regna Tagi,
Vidit & invidit Mors sæva, ROSAMQUE revellit,
Illa cadit, cadit & forma, potensque decus.
Eheu quàm tenui nutant mortalia filo,
Sic tua mors, veris filia, filia secat!
Quis sibi nestoreas ausit promittere messes,
Reginam florum cum metat ante diem?
Non ignara mali fle, Lusitania, Parcæ
Hanc nimium properè quod rapuere ROSAM.
Eheu materies fraternis longa querelis,
Hærent in tanto vox, lachrymæque malo?
Nunc sub falce jacet Soror heu pars altera Fratris,
Altera pars Fratris credita, terra, tibi est!
Spargite opes Arabum, lauri properate perennem
Sylvam, & purpureas spargite veris opes.

Et

Et myrtum, & cyprios benevolentia munera flores
Spargite per tumulum, quo ROSA clausa jacet,
Spargite, Castalides, violas & lilia, magnus
Dux ait, alta tuas nolo, cupresse, comas.
Has dum do lachrymas, dum spargo his floribus urnam,
Te, Regina Soror, flos tui imago tegit.
Dum memor ipse mei, cupio memor esse Sororis,
Et si oculis, animo non procul ibit amor, ^{sup}
Olim te natam sextilis sexta salutat,
Heu Te lux eadem quàm malè mandat humo!
Quæ Te mors rapuit, rapuit mors omnia nobis,
Non mors lenta, Soror, sed violenta fuit.

Epitaphium serenissimæ Reginae.

Ne calca hoc saxum, quæ sexum pectore vicit,
Hic jacet, hunc casum Musa, Charisque gemit:
EXDE, FLORA, ROSAS, VERIS LAUS Vera sepULTa est,
QUID fers certa? fUIT tota MARIA ROSA.

Ad serenissimum Lusitaniæ Regem.

HIC, O REX, REGINA ISTA EST, SI VERA VIDEMUS,
PAR fUIT ISTA ROSÆ, VEL fUIT IPSA ROSA,

